

commilitone, & emissō fulminis iētu tam horren-
do, ut territus & consternatus Lutherus, p̄a
metu irae diuina & iudicij nouissimi, votum face-
ret, se relicto mundo, & spretis omnibus, Augu-
stini institutum Eremitanum complexurum esse,
id quod inscijs parentibus & inuitis amicis om-
nibus non sine conscientia vulnere & morsu, ut
postea sape confessus est ipse, tandem fecit. In mo-
nasterio autem, cum animum ad lectionem Bi-
bliorum sacrorum appulisset, monachi sordidos
labores ipsi ut nouitio imposuerunt, expurgatio-
nem contignationum, templi custodiam, horarum
indicationem, & cum sacco per ciuitatem, ut lo-
quebantur, eum emittebant, non in studijs, sed
conquisitione panis, frumenti, ouorum, piscium,
carnium, pecuniae, & aliarum rerum, monasti-
cam vitam crescere prætendentes. Et nisi Aca-
demia, cuius membrum ipse esset, ornatus gradu
magisterij, intercessisset pro Luthero, non peper-
cissent ei ventres. Professus autem monachum
annis quatuor, strenuū se præbuit in exercitijs mo-
nachorum proprijs, celebrandis Missis, crebris
ieiunijs, vigilijs, horis seruandis, precibus ad san-
ctos directis, ita quidem, ut indefesso horum ex-
ercitiorum studio seipsum emaceraret, & cum
inde nullam in animo consolationem & quietem
conciperet atq; sentiret, ferè mærore animi absu-
meretur, & ad desperationem vitae adactus extin-
gueretur, nisi ex illo ipso monachorum catu qui-

B 5 dane